

Eusebio (c. 32); sed cum Indicis exemplaria passim divergant, singularibus in tali re non est obsecundandum.

FAB ut supra vidimus in spatiis constanter sequuntur Indicem tribus episcopis exceptis Anacleto et Marcello utpote in Indice omissis et aliquatenus in Miltiade utpote in Indice annos solos habente. In his quatenus spatia Liberiana secuti sint, supra adnotavimus; praeterea *F* Marcello tribuit spatium temere excogitatum, *AB* Anacleto spatium decessoris Clementis temere repetitum. Adhibuit autem tam scriptor libri eius a quo pendet epitome *F* quam qui scripsit exemplarium *AB* archetypum, ut recte observavit Duchesnius (p. LXXIX), Indicis exemplaria minime proba, scilicet talia fere, qualia sunt Albigenae (n. 7) descriptum ex codice scripto a. 673 et Fredegarianum (n. 8) item saeculi VII exeuntis (vide quae supra diximus de *K*; notabilis est item consensus epitomae *F* cum Ind. 8 in Felice IV n. 56). Id ipsum pervenit ad recensionem *E*, quatenus non pendet a catalogo Liberiano. Inde aliquatenus definitur, quo tempore recensiones hae ad eam formam pervenerint, qua nos eas tenemus.

AB editionem secundam qui ita interpolavit is fuit qui scripsit archetypum stirpium duarum *AB*, nam errores licet pauci ab Indice alieni communes sunt utrique familiae (c. 21 in Fabiano *m. XI* pro *m. I* — c. 62 in Pelagio I *a. XI* pro *a. IIII*¹).

F epitomen Felicianam qui ita interpolavit quaeri poterit, utrum adhibuerit Indicis aliquod exemplum an editionis posterioris, quam ei non ignotam fuisse supra (p. 338) vidimus. Sed magis est, ut Indicem adsumpserit, cuius abundant exemplaria maxime Fredegariana, quoniam alteri opinioni obstant quae modo rettulimus spatia Anacleti et Marcellini a libris *AB* recedentia.

Habuit igitur qui Pontificalem primus ordinavit utrumque episcoporum laterculum tam Indicem quem

1) Itaque paparum catalogus a Leone I. ad Deusdedit insertus collectaneis Anonymi Havniensis (chron. min. I p. 270) non venit ex codice aliquo libri pontificalis *A* vel *B*, sed aut ex *E* aut ex Indice.